



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

SS. Caprasivs Et Fides MM. 20. Octobris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

sum, sed Christum abire; amicissimis  
verbis sua utrique premia pollicentem.  
Et finierat fabula pulcherrima, cum ite-  
rum lis sancta exorta est, utrius virtuti  
hanc DEVS dedisset. Post multa ita  
conventum est: ut silentio omnia in-  
voluerentur. At frustra agitis o Divi.  
gemma vos prodidit, & vero olim Chri-  
stus prodet. *Ex Surio.*

## SS. CAPRASIVS ET FIDES MM.

20. Octobris.

**V**T fidem sanguine suo firmare  
CAPRASIVS, FIDES virgo sug-  
gessit. Nam cum hæc anno post natum  
Servatorem trecentesimo tertio pro  
CHRISTO captiva in lassitudine  
omnes jam carnifices dedisset, & den-  
que in craticulam abjecta esset lento  
igne crucianda; vidit è specu suâ, quæ  
delitescerat, CAPRASIVS, manifestatam  
in luce columbam cælo adventare,  
quæ & rore asperso ardores tempera-  
ret, & sero longè pulcherrimo capiti  
victricis coronaret. Puduit vinci à vir-  
gine, & latere jam noluit, si talem se  
fœmina proderet. Abiectus proinde  
preces oravit; si cælo placeret etiam  
virum in pugnam prodire, veller, pre-  
beret, eo in loco fontem enasci. Sanguinem  
se daturum, si aquam spelunca  
Et dedit hæc aquam, sed quæ CA-  
PRASIO cruentâ sitim accendit. Hanc

ut poneret, in urbem & in theatrum  
ad tyrannum properare, & jam palam  
ostendere, non frustra tandiu in pul-  
vere privato exercuisse sese, denique  
non modo inter omnia tormenta sibi  
constare, sed & longè plurimos alios in  
eandem sententiam pertrahere, qui-  
buscum omnibus capite ultimò trun-  
catus effecit, ut exiguus aquæ fons in  
flumina sanguinis excresceret. *Ex Sur.*

S. HILARION ABBAS.

21. Octobris.

**M**ultum puer HILARION in ludo  
literario, plus apud D. Antonium  
in religiosâ scholâ profecit. Itaque an-  
no ætatis XV. cælesti philosophiâ jam  
plenus, jamque vates, pectora hominum  
inspexit, absentia & longè post futura  
multo antè vidit. Mox magister etiam  
ipse sanctioris sapientiæ fidei dogma-  
ta multos, multos mundi contemp-  
tum edocuit. Asellum suum (ita cor-  
pus familiari convitio appellitabat) cal-  
citrantem non hordeo (ut ipse dicere  
solebat) sed paleis sustentabat, hoc est  
fame, siti, labore edomabat. Latrones  
vim meditantes inferre viro, cælum er-  
rore viarû abductos, totâ nocte delusit,  
Ipse quoque dæmonum ludibria non  
semel impunè risit; quin Plutonē quan-  
doque cum curru suo per terræ hiatum  
ad inferos redire compulit irriden-